



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XXXVIII. Argumentum. Disputatur, & deciditur, quando mutuans possit nomine pœnæ exigere lucrum à mutuatario. Differentia inter forum fori, & inter forum poli. Quatuor requisita, ut pœna exigi ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

15. Neque obstat cap. *Naviganti. De Usuris*, cuius resolutio etsi difficilis sit, ut ait Card. de Lugo d. disp. 25. numer. 78. & Fagnanus ibid. n. 13. tamen ad illud dare possunt infra scriptæ resolutiones. *Prima*, quod credendum sit in eo textu omittam esse negativam *Non*, ita ut dixerit Summ. Pontifex, *Usurarius non est censendus*. Ita Fachinus *Controvers. lib. 2. cap. 48.* & Layman. *lib. 3. tract. 4. cap. 16. numer. 13. Vers.* Sed mihi magis placet, quos allegat, sed non sequitur Leotard. *dict. quest. 23. num. 24. Secunda*, quod ille textus procedit in foro fori, in quo præsumitur Usura; periculum verò reputatur merus prætextus. Fagnanus ibid. numer. 21. secus autem in foro poli. *Tertia*, quod habeat locum tantummodò, quando lucrum est iniustum, & immoderatum. *Adrian in 4. sentent. in tractat. de Usur. cap. occurrunt.* *Quarta*, (quæ magis propria, & germana videtur) est, procedere tantum, quando mutuatarius ab initio cogitur, recipere mutuantem in Asscurationem, ita ut nolit ei dare mutuum, nisi cum hoc pacto, & cum hac obligatione, quæ cum sit pretio æstimabilis, est etiam illicita, & usuraria. Ita passim DD. omnes, inter quos Lupus de *Usur. Commentar. 3. §. 1. num. decimoquinto.* Covarruv. *Var. resol. lib. 3. cap. 2. num. 5.* Molina *dict. disput. 318. num. secundo.* Petr. Navar. de *Restit. lib. 3. cap. 2. numer. 343.* Bonacina *dict. disp. 3. quest. 3. punct. 5. numer. 2.* Azor. *dict. lib. 5. cap. 7. quest. 2. in fin.* Leotard. de *Usur. d. quest. 23. num. 5.* Card. de Lugo *dict. disput. 25. num. 78.* & Mastrius d. *disput. 5. numer. 68.*

Minus obstabunt argumenta, & rationes primæ sententiæ absolute affirmantis.

16. Non primum, quia magna differentia est inter fideiussorem, & ipsum mutuatarium; nam repugnat contractui, ut una, & eadem persona sit creditor, & fideiussor; siquidem fideiussor se tenet ex parte debitoris, & quasi una, & eadem persona censetur cum debitore. *Rebellius d. lib. 9. quest. decima secunda numero septima.* Sed cessat omnis amaritudo, quando mutuatarius nolit subire vicem fideiussoris ex pacto ante mutuum inito, sed post contractum mutui perfectum, ex libera voluntate mutuatarii, ut dictum est in primo requisito.

17. Non obstat secundum de locatione equi; ex eo quia locator est dominus rei locatæ, & potest augere pretium timore periculi rei suæ; & cum in illo casu minimè intret mutuum, neque usura intrare potest, secus autem est in nostro quæsito ob dominii translationem pecuniæ mutuo datæ.

18. Non obstat tertium deductum ex labore corporis ad laborem animi; nam maximum est discrimen; corporales enim labores sunt pretio æstimabiles, sed non etiam mentales; quibus mederi potest mutuator vel petendo pignora, vel fideiussores; lucrum autem pacisci ob mentis laborem ex anxietate animi dubitantis pecuniam perituram, imo auget periculum; ea ratione, quia si timeas exstare periculum in restituendis E. g. decem mutuo datis, eò majus periculum erit in restituendis duodecim; sicut si bajulo non valenti ferre decem, imponeres duodecim ferenda. *Rebell. dict. lib. nono, quest. decima secunda, num. 6.*

Non obstat Quartum, Quia, quidquid sit

de majori, vel minori valore ejusdem summæ ob periculum; cum mutuator velit mutuare, tenetur servare naturam mutui, cuius proprium est, gratis mutuare; quod si timeat periculum amissionis fortis, consulat sibi exigendo pignora, vel fideiussionem, ut benè considerant Reginaldus d. lib. 25. num. 246. & Rebell. d. lib. 9. quest. 12. ubi negat minùs valere centum cum periculo, quàm sine periculo; & quando mutuatarius satisfacit summæ debiti, satisfacit etiam asserto periculo.

Tandem non obstat Quintum: eò quia est, quod ipse mutuator possit esse sibimet etiam Asscuration, id intelligendum est cum quatuor supranotatis requisitis, non autem sine illis, vel eorum aliquo, ex Doctoribus supra citatis.

DECISIO XXXVIII.

ARGUMENTUM.

Disputatur, & deciditur, quando mutuans possit nomine pænæ exigere lucrum à mutuatario. Differentia inter forum fori, & inter forum poli. Quatuor requisita, ut pænâ exigi possit in mutuo. Interusuria dotalia sunt licita. Alii casus de licita pænæ actione.

SUMMARIUM.

1. Pænâ pecuniaria imponi potest pro observatione contractus.
2. Pacta sunt servanda.
3. Mutuatarius morosus in restitutione peccat contra justitiam.
4. Pænâ pecuniaria adjecta mutuo est usura palliata.
5. Forum fori non admittit pænas conventionales in mutuo.
6. Forum poli concedit pænas in mutuo, sed cum quatuor conditionibus. Et quæ sint?
7. Pænâ in mutuo quando dicatur posita in fraudem legis.
8. Pænâ à mutuatario exigi non potest ultra verum damnum mutuantis.
9. Sperellus Episcopus Eugubinus laudatus.
10. Opinio Jurisperitorum in quibus materiis prævaleat opinioni Theologorum?
11. Dotis non soluta interusuria an sint licita?
12. Statutum de interusuriis dotalibus solvendis valet.
13. Pænâ non tenetur solvere mutuatarius, qui non est in culpa.
14. Mutuare ad hoc ut aliud debitum solvatur, non est usura.
15. Scandala sunt evitanda etiam in rebus licitis.

Simili modo, quia aliqui usurarii exigunt lucrum ex mutuo sub prætextu pænæ, quæsitum fuit. An liceat recipere lucrum in mutuo ratione pænæ conventionis?

Ad hoc pariter Quæsitum Tres formatæ sunt Opiniones à nostro Clero.

Prima fuit affirmativa, quia nihil resistere videtur, quin unicuique liceat rationabilem pænâ sibi imponere in confirmationem contractus, & alteri promittere, si non adimpleverit; omne autem promissum est

- est debitum, saltem postquam acceptatum fuerit. Uterius nemo cogitur inire contractum, nisi de eius adimplerione reddatur securus; hæc autem securitas insurgit per pactum pœnz solvendæ, casu quo contrahens non adimpleverit promissa; spectat autem ad bonum commune, ut pacta servantur, & contractus adimpleantur, ut docet Rebell. *de oblig. iust. lib. 8. quæst. 9. numer. 3.* & communiter tenent omnes Theologi. Reginald. *d. lib. 25. num. 228.* Molina *disp. 317.* Tamburin. *de Triplici Jure d. lib. 9. tract. 1. cap. 3. §. 5.* Layman. *lib. 3. tract. 4. cap. 16. num. 12.* Bonacina *de contractib. disp. 3. quæst. 3. punct. 7. num. 1.* ubi aliam rationem adducit nempe, Mutuatariū existentem in mora peccare contra iustitiam; & propter peccatum esse dignum aliqua pœna. Tolertus *lib. 5. cap. 32.* Lessius *d. lib. 2. cap. 20. dubit. 15.* & Cardin. de Lugo alios cumulans *disp. 22. n. 397. & disp. 25. num. 110.*
- 4 Secunda fuit negativa; quia etsi licita sit pœna conventionalis appositæ factis tam affirmativis, quam negativis, vel etiam speciei, §. *Alteri iust. de inutilib. stipulat.* Abb. in cap. *Dilecti num. 15. de Arbitr.* & Menoch. *de Arbitr. Jud. Casu. 260. num. 22.* tamen si adjecta sit quantitati, vel solutioni, exigi non potest, nisi quatenus concurrat cum vero interesse, alias censetur Usura palliata; & ideo prohibita tam de Jure Civili. *l. Julianus 14. Idem Papinianus ubi Gloss. ff. de Act. Empt. l. Cum allegas. 15. Cod. de Usur. quam de Jure Canonico. Cap. Fraternitas 12. quæst. 2. & cap. Summ. 9. de Penit. Ursill. ad Af. flic. decis. 135. numer. 8.* Genuent. in *Practicabil. Eccles. quæst. 646. num. 3.* Cravetta *consil. 693. num. 15.* ubi ait, hanc sententiam esse meliorem, & sanctiorem. Roderic. *de annuis reddit. quæst. 5. num. 12.* Thesaur. *decis. 79. num. 1.* Leotard. *de Usur. plurimos allegans quæst. 38. à numer. 13 & seqq.* & Illustrissimus Episcopus Sperellus *decis. 135. per totam*, ubi hanc opinionem Juribus, rationibus, ac auctoritatibus confirmat.
- 5 Tertia opinio fuit, procedendum esse cum distinctione fori: nam vel loquimur de foro fori; & in hoc prævalere debet dicta opinio negativa; quia leges præsumunt pœnas conventionales in mutuo esse Usurarias, & ideo eas in sortem esse computandas decernunt. Jo. Monach. in *Rubr. de Usur. lib. 6. num. 10.* & Probus *ibi in addit. num. 34.* Card. Mantic. *de tacit. & amb. lib. 14. tit. 37. num. 7.* Leotard. *de Usur. dict. quæst. 38. num. 13.* Scaccia *de Commenc. §. 1. quæst. 7. part. 2. Ampl. 8. num. 185.* Menoch. *d. Cas. 260. num. 41.* & Illustrissimus Sperellus *dict. decis. 131. num. 39.* Zerola in *Praxi part. 1. Verb. Pœna. Vers. Secundo.* Rota Bononien. *decis. 22. numer. 6. & seqq.* & Rota Romana *part. 11. rec. decis. 170. num. 1. & 2.* Vel loquimur in foro poli; & in eo ex communi Theologorum placito locum habere potest opinio affirmativa, quatuor tamen concurrentibus requisitis. Primum est, quod mutuatariū culpabiliter transgrediatur pactum restituendi mutuum; nam, qui absque culpa non potest mutuum reddere, pœnam non tenetur solvere; sufficit autem culpa antecedens, ut si commensationibus, vel ludo debitor ad eum statum se reduxit, prævidens se futurum impotentem ad solvendum. Secundum
- requisitum est, quod pœna sit rationalis, id est proportionata, & non excessiva. Tertium est, quod mora sit notabilis, quia si mutuatariū distulisset solutionem per bideum, vel per hebdomadam tantum, non teneretur ad pœnam; & idem esset dicendum, si partem debiti solvisset, quia pars aliqua tantum pœnz intraret, & non tota, nisi mutuantis interesset, quod integrè solveretur. Et Quartum est, quod pœna non sit appositæ in fraudem legis ad palliandam Usuram; sed ad coercendam perfidiam mutuatariū recusantis suo debito satisfacere. Ita Azor. *part. 3. lib. 5. cap. 6. Vers. Quinto quaritur.* Lessius *dict. lib. 2. cap. 20. num. 130.* Rebell. *d. lib. 8. quæst. 9. num. 4. & 5.* Molin. *d. disput. 317.* Tamburin. *de Triplici Jure d. lib. 9. tract. 1. cap. 3. §. 5.* Leotard. *d. quæst. 38. num. 19.* & Card. de Lugo *d. disput. 22. num. 398. 99. & disput. 25. num. 110. & 111.* ubi declarat, tunc pœnam censi appositam in fraudem legis, & ad palliandam Usuram, quando mutuum datur propter pœnam lucranda, & mutuantis utitur illo prætextu, ut habeat lucrum, quod apertè, & directè scit, non posse exigi ratione mutui.
- Hanc tertiam opinionem, cujus Author est Scaccia *de Commenc. & Camb. §. 1. quæst. 7. part. 2. Ampl. 8. num. 184. & 185.* amplexa esset Curia Episcopalis (nam in foro poli dicta quatuor requisita videntur sufficere ad honestandam exactionem pœnz in mutuo juxta placitum Theologorum, & ad excludendam præsumptionem Usurarum, quamvis contrarium censetur in foro fori, in quo non datur actio ad pœnam exigendam, nisi quatenus intersit, solutionem non fuisse factam in tempore, ut dictum fuit) Verum quia idem Illustrissimus Sperellus *d. decis. 131. sub. num. 42.* cum simile quæsitum fuisset disputatum à Curatis suæ Eugubinae diocesis, & pro majori parte votassent juxta doctrinam Theologorum, id est pro opinione affirmativa, nihilominus ipse eosdem admonuit, ne permitterent, dictas pœnas exigi ultra verum interesse; quia vix fieri potest, ut Usuraria pravitas non obrepit in mutuantem, à quo lucrum pœnz nomine prætendatur contra mutuatariū, qui statim in termino statuto mutuum non restituit: idcirco tanti Præfulis pietate, & doctrina eximii exemplum non esse parvipendendum Curia Episcopalis Patavina resolvit; & omnino negativam opinionem tenendam responderet, videlicet: Non esse licitum recipere lucrum in mutuo ratione pœnae conventæ; nisi quatenus de interesse mutuantis vero, & legitimo agatur, ut est communis Jurisperitorum, & Canonistarum sententia; quos potius sequi oportet, quam Theologos in materiis Matrimoniorum, Decimarum, & Usurarum; licet enim hæc proveniant à Jure divino; hujus tamen Juris interpretatio spectat ad Canonistas in dubiis concernentibus moralem Philosophiam; ad Theologos autem ubi agitur de controversiis fidei adversus hæreticos, & infideles, ut ex Ancharani disputatione notat Anan. in cap. 6. num. 14. & seqq. *de Usur. Alex. consil. 1. lib. 2. & ibi Nat. in addit. Præpositus in capit. 2. num. 3. dist. 10.* Card. Parisius *consil. 67. num. 31. & seqq. vol. 4.* Bannes in 2. 2. quæst. 57. & aliis allegatis probat Scaccia *de Commenc. §. 1. quæst. 1. numer. 19.* & Illustriss.

Strissinus Sperell. *decif.* 119. à num. 72. usque in finem. Et ita etiam novissimè advertit Emin. Card. de Luca de *Usuris disc.* 1. Item de *Matrim. disc.* 3. Et etiam in *Amor. ad Concil. Trid. disc.* 25. num. 24.

Porro quia fuit ulterius dubitatum, An ratione Dotis liceat recipere lucrum? videlicet: An, ob dilationem in solvenda dote, possit maritus exigere Inter Usuraria?

Ad hoc Quæsitum ferè omnes responderunt affirmativè, dummodò ea non sint excessiva, sed vero interesse correspondeant; ea ratione, quia dantur pro sustinendis oneribus Matrimonii juxta text. in cap. Salubriter, & ibi DD. de *Usuris*, ut docent Covaruvias lib. 3. Var. cap. 1. numer. 3. Facchin. *controvers. Jur.* lib. 2. cap. 32. Verf. ad Quartum. Menoch. de *Præsump.* lib. 9. num. 4. Surdus de *Aliment.* tit. 2. quæst. 35. num. 4. Fontanella de *Pactis Nupt.* claus. 6. gloss. 1. part. 3. num. 9. novissimè Anton. Conciol. allegat. 27. à num. 25. & seqq. Zerola part. 1. Verb. Dos. Beja in *Resp. cas. cons. Casu* 56. Leotard. de *Usur.* 12 quæst. 28. & ex Theologis Molina *disp.* 321. num. 9. & 10. ubi subdit licitum esse statutum disponens, Cardin. Toletus lib. 5. cap. 30. in fin. Bonacina alios DD. cumulus rom. 2. *disp.* 3. quæst. 3. punct. 9. Lessius lib. 2. cap. 20. num. 141. & Card. de Lugo *disp.* 25. à num. 151. usque ad num. 175.

Hinc pro exclusione pœnz fuit decisum in sequenti casu: Videlicet Carolus Mense Octobri recipit mutuo frumenti staria centum cum obligatione illa reddendi mense Augusto subsequenti; & promissione, si deficiat, solvendi ulterius alia staria decem. Mense Maio flumina inundant agros, & destrunt sata Caroli. Quæritur, An mutans possit exigere staria decem, ultra centum, frumenti à Carolo, cum de mense Augusto non solverit?

Concors fuit Responsio Negativa. Et ratio est, quia Carolus non est in culpa; & ad incurrendam pœnam promissam, casu quo mutans in termino præfixo mutuum non restituit, requiritur mutuatarii culpa, quæ cessat in Carolo, cujus fata destructa fuerunt per inundationem agrorum, ad tradita supra num. 6. in tertia opinione, & primo requisito. Et tantò minùs exigi possunt dicta staria decem frumenti, ultra centum, à mutante, attentata doctrina Jurisperitorum, & Canonistarum, quam sequi volumus, docentium illicitam semper esse pœnam adjunctam quantitati, & appositam in contractu mutui, nisi quatenus creditoris interfit, ut firmavit Illustrissimus Sperellus *disc. decif.* 131. ubi plurimos DD. cumulat, jura, & rationes.

Sed quid dicendum ad hunc practicabilem Casum. Dominicus debet mihi libras centum ex liello, quas difficulter solitus estolvere. Petit à me mutuo viginti libras, spondens has, & illas promptè redde post mensem. Quæritur, An sit Usura tali spe, & animo mutuari?

Responsum fuit non esse Usuram. Ratio est, quia illa centum debebantur ex iustitia extra mutuum; & ea non exiguntur vi mutui. Tamen de *Triplici Jure* lib. 9. tract. 1. cap. 3. §. 8. num. 2. Neque imponitur obligatio, quam antea mutuatarius non haberet, & mutuator nihil accipit, quod sibi antea non deberetur. Bonacina d. rom. 2. *disp.* 3. quæst. 3. punct. 3. numer. 15. Azor. part. 3. lib. 5. cap. 7. Verf. De-

cimo quinto. Rebell. lib. 8. quæst. 4. numer. 6. ubi tamen admonet, cavendum esse à scandalo; Reginald. d. lib. 25. num. 191. & 192. Trullench. in *Decal.* lib. 7. cap. 19. dub. 2. num. 1. & dub. 6. num. 7. & Card. Toletus d. lib. 5. cap. 28. num. 1. & cap. 34. num. 3.

DECISIO XXXIX.

ARGUMENTUM.

Undecim motiva notatu digna describuntur, quibus Parochi in die festo celebrare debeant in propria Parochiali.

SUMMARIUM.

1. Parochi obligatio diebus festis ex Trident. Concilio.
2. Sacramenta diebus festis à Parochis ministranda.
3. Matrimoniales denunciationes.
4. Parochis Diocesis Padua prohibitum est celebrare extra suam Parochialem diebus festis.
5. Missam perdunt multi in die festo, Parochis aliibi celebrantibus.
6. Derrimenta Parochialis Ecclesia, si in ea Parochus non celebret.
7. S. Ambrosii tres observationes ab Ecclesiasticis imitanda.

Utrum fuissent requisita rationes, quibus non licet Parochis diebus festis celebrare Missam extra suam Ecclesiam Parochialem?

Relatz fuerunt sequentes. Prima, quia Parochus tenetur plebes sibi commissas diebus saltem dominicis, & festis solemnibus pascere salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate, & facilitate sermonis verba, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & celestem gloriam consequi valeant. Concil. Trident. sess. 5. de ref. cap. 2. Secunda, quia iisdem festis diebus tenetur Parochus Sacramenta administrare, & easdem plebes doctrinam Christianam erudire ex eod. Concil. Trident. sess. 24. de ref. cap. 7. Tertia, quia denunciationes Matrimoniorum tenetur facere. Concil. Trident. sess. 24. de ref. Matrim. cap. 1. Quarta, quia omnia supradicta munia præcipiuntur in Synodalibus Constitutionibus Patavinis part. 1. cap. 7. part. 2. cap. 10. 11. & 18. Quinta, quia extat expressa prohibitio in Decretis Eminentiissimi nostri Præfatis, publicatis in Congregatione generali Vicariorum die 30. Augusti 1682. ubi num. 2. habetur, Non audeant Parochi diebus festis, sub quocunque prætextu, ad alias Ecclesias celebratum ire &c. Sexta, quia licet populus præmonitus fuerit, Parochum celebraturum in tali, vel tali vicina Villa, plurimi ex plebe senes, pueri, valetudinarii Missam non audiunt, quia ad aliam Villam accedere non possunt. Septima, nam et si Parochus de alio Sacerdote, qui Missam celebret, provideat; nihilominus plebs non audit vocem Pastoris, & Pastor non cognoscit oves suas, contra Evangelicum præceptum. Joan. 10. Barbof. de *Offic. Paroch.* cap. 14. num. 9. Octava, quia diminuitur divinus cultus, plebs divagatur, sodalitates spirituales privantur elemosynis, & propriæ Ecclesiæ non præstantur debita obsequia. Nona, quia scandala exoriuntur, & detractiones contra Parochum, tanquam gulæ deditum, vel in suo officio defidem. Decima, quia sæpè accidunt in populo